



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Henrico milite apud nos curenam faciente, & de lapide in quo
dormiebat tempore orationis, cap. 37

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

intentione proferunt, & eadem semiplenè prolata
 porcis, id est dæmonibus, colligenda projiciunt. Hi
 verò qui vigilant, & libenter deuotequè cantant, &
 psallunt intentè, medullam comedunt, quia gratiam,
 quæ in verbis latet propheticis, percipiunt: tales in
 futuro, cum laudatoribus cælestis Ierusalem, adipe
 frumenti Dominus satiabit, id est, visione suæ deitatis.
 APOLLONIVS: Satis ex his quæ dicta sunt colligo,
 quòd tædium exercitij spiritualis sit à diabolo. CAESARIUS:
 Ut dicis ita est, quia quidam sunt qui statim
 ut ceperint psallere, orare, & legere, mox dormire
 incipiunt, vigiles in lecto, somnolenti in choro.
 Idem dico de audiendò verbum Dei: cum verba se-
 cularia audiunt, bene vigilant: cum verbum Dei eis
 proponitur, mox dormitant.

CAPVT XXXVI.

IN solemnitate quadam, cum Abbas Geuardus,
 antecessor huius qui nunc est, verbum exhortatio-
 nis in capitulo ad nos faceret, & plures, maximè
 de Conuersis, dormire, nonnullos etiam stertere
 conspiceret, exclamauit: Audite fratres, audite, rem
 vobis nouam & magnam proponam. Rex quidam
 fuit qui Artus vocabatur. Hoc dicto, non processit,
 sed ait: Videte fra tres miseriam magnam; quando lo-
 cutus sum de Deo, dormitastis: mox ut verba leuita-
 tis inserui, euigilantes erectis auribus omnes auscul-
 tare cœpistis. Ego eidem sermone interfui. Non so-
 lum personas spirituales, sed & seculares diabolus per
 somnolentiam tenet & impedit.

CAPVT XXXVII.

MILES quidam Bonnenfis, Henricus nomine, tẽ-
 pore quodam quadragesimali carentiam fecit a-
 pud nos. Postquam reuersus est in domum suam, die
 quadam occurrens prædicto Geuardo Abbati, ait ad
 illum: Domine Abbas, vendite mihi lapidem illum,
 qui iuxta talem columnam oratorij vestri iacet, & e-
 go dabo pro illo quicquid postulaueritis. Cui cum
 diceret: Ad quid vobis est necessarius? respondit: E-
 go illum ponere volo ad lectum meum, quia talis est
 natura

natura eius, vt qui dormire non potuerit, & caput super illum posuerit, statim dormiat. Illam confusio- nem fecerat ei diabolus tempore pœnitentiæ, ve quotiens veniens ad ecclesiam, se super eundem lapidem causa orationis reclinaret, mox ei somnus obreperet. Simile verbum nobilis quidam, qui ob similem pœnitentiam fuerat in Hemmenrode, fertur dixisse: Molliores, inquit, sunt lapides oratorij Claustrij omnibus lectisternijs castri mei. Non poterat se continere, quin tempore orationis in illis dormiret. APOLLONIVS: Si non esset grauis culpa acedia in seruitio diuino, non nos ita diabolus ad illam sollicitaret. CAESARIUS: Quanta sit culpa huius vitij, pœna te doceat vnus acediosus.

CAPVT XXXVIII.

Vix sunt duo menses elapsi, quod dominus Abbas Campensis retulit nobis de monacho quodam, qui semper in choro solebat dormire, rem terribilem valde. Nocte quadam, cum ex more dormiret alijs psallentibus, crucifixus de altari venit, dormitantem excitauit, & cum tanto nisu maxillam eius percussit, vt infra tertium diem moreretur. APOL. Stupenda sunt que dicis. CAES. Monachus acediosus nauseam Deo prouocat & angelis sanctis. Vnde cuidam acedioso in persona omnium per Ioan- nem dicitur a Christo: Vtinam frigidus esses aut calidus, sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. APOLLONIVS: Recordor te superius dixisse idem esse vitium tristitiam & acediam. CAESAR. Verum est, quia acedia est ex confusione mentis nata tristitia, ex hac nascitur malitia & desperatio, sicut subiecto tibi ostendam exemplo.

CAPVT XXXIX.

Abbas de Brûsbach anno præterito retulit Ab- bati nostro têtationem quandam ex tristitia natura terribilem satis, sic dicens: In prouincia nostra quadam extitit puella nobilis ac formosa, diuitumque filia, quam cum pareres tradere vellêt marito, reliquit illa, dicens: Non nubam alteri viro, nisi spòso cele-

Desperatio ex acedia oritur.

N 3

sti Deo